


Cath. 187.

(X2002490)

X a
3366

PARENTALIA^{AD}
Illustris Memoriæ Principi Reverendissimo,
Dn.
JULIO PFLUGIO,
Cathedralis Ecclesiæ Numburgensis
Episcopo Eminentissimo
dicata;
& cras
Eruditorum luce cohonestanda,
pro eo, ac decet, invitata
M. FRIDERICUS Berger/ Scholæ
Cathedr. Numburg. RECTOR.



LEUCOPETRÆ.
LITERIS JOH. BRÜHLÆI, AUG. TRYPOGR.
ANNO MDG LXXVI.

K. 187.

ΘΕΟΣ ΘΕΟΣ!



Vod de Consulari Romanorum Imperio prodidit memoriæ L.A. Florus, incidisse illud in tempus *a Viris armisq; incitatissimum*: Id vel ipsius veritatis suffragio de seculo abhinc proximè lapso credi meretur. Si illibi à primo Romanæ libertatis Vindice Junio Bruto, visa sunt *b* Romana prodigia atq; miracula, hoc est, Heröes, ingenio, Virtute, ac fortuna humanam prope sortem supergressi, adeo, *ut in stuporem rapiamur* (verba sunt πολιτικώτερα c C. Förstneri,) si virtutis excellentiam, si pietatem, si justitiam, continentiam, libertatis studium ingens, & amorem consideremus. Qvis seculum à Partu salutis decimum sextum similibus, imò majoribus, (si literarum ac artium honori velificari velimus) virtutum experimentis ingeniorumq; incrementis pronunciabit inferius? Sanè qui res superiore seculo gestas oculis non conturbatis inspexit, & magnitudinem rerum cum annis contulerit, non unius seculi, sed plurimorum facta discat. Atq; ut Augustissima illa Nomina Maximilianorum, Caroli V. Ferdinandi I. Rudolphi, at quantorum Heroum! tantum ne inficiet sermonis pauperie attenuentur, sacro veneremur silentio; Quem clam est, illo veluti aureo seculo, omnes cùm superiores, cùm inferiores disciplinas ac artes suos quasi natales ac pristinum nitorem recuperasse, simulq; id quod inter καιμάλια ferdendum, senioris Theologiæ lucem affulsisse, quam incomparabilis illi verbi divini Daduchus M. Lutherus, moderante, Sumi Numinis gratia, Ecclesiæ ac Universo Orbi accedit? Quem immensum doctorum Virorum proventum perpendens & Professor ille Lutetiensis, Majorem, inquit, seculo hoc uno nos vidimus, quam totis anteà quatuordecim maiores nostri viderunt. His eruditi seculi luminibus, & primæ magnitudinis Stellis ac censemus REVERENDISSIMUM PRINCIPEM J U L I U M PFLU-

* in Proemio Rerum Rom. b idem l. i. c. 10. c In Notis Polit. ad C. Tac. l. IV. p. 419. d Petrus Ramus.

PLUGIUM, *hujus Episcopatus, ac Orbis Literati Decus Immortale*,
qvi anno supra Centesimum, adhinc duodecimo, mense Se-
ptembri, ex hac turba & colluvione rerum humanarum ad
immortalitatem transiit. Non sufficiebat huic Semoni ad se-
ptem, vel si placet, octo Tatas divites, qvorum progenito-
res vel ipfis atavis Bohemorum Regibus è vetustissimo a
Croci sangvine, & felici vomeris augurio in Primislaum &
Libuslam inclinante, perhibentur editi, velut subinde ho-
rum posteri Adolphi & Alberti I. Impp. temporibus, per
Germaniam inclaruerunt, ortum retulisse, nisi & ipse pro-
pria luce per literas qvæsita fulgens plus adhuc splendoris
in familiam intulisset; Adeoq; solis qvām lunæ maluit esse
æmulus, lucem potius aliis impertiens, qvām ab aliis preca-
riam accipiens. Nec spes avara voti caruit successu. Factum
enim, ut propter ingens sciendi discendiq; desideriū omni-
bus domi forisq; charus velut in famæ Theatrum produce-
retur, multorumq; plausu exciperetur. Ad hunc rectius de-
merendum, usus est in ætatis flore Operâ ac Informatione
Petri Schadæi, cognomento Mosellani, qui primis post b Richardum Crocum Britannum Græcæ Lingvæ Professor flo-
ruit in Academia Lipsiensi c/ cuius funus posteà omnibus
doctis acerbum disertissima oratione prosecutus est. Addi-
mus huic alterum ejusdem Academiæ benignum Julio sidus
Bornerum, quo de Fabricius ad Julium: Lipsiæ vidi Borne-
rum, qui ferè nunc solus Academiæ onus & spem literarum
sustinet. Tantis studiorum auctoribus incitatus suam defa-
tigari constantiam passus haud est Pflugius. Noverat ejus-
modi supina otia in luteas plebeiasq; animas cadere: divi-
nioris contrà naturæ esse, amare curam, somnumq; ac segni-
tiem fugere: & cœli nunquam qviescentis instar gaudere,
pariter motu ac vegetari. Hinc alio sub sole calentes accede-
re populos, induxit animum, inq; his Italiam concessit, ubi

A 2

vetu-

a Höpingius in tractat. de Insignibus c. 6. part. 8. num. 1386. b Henricus
Höpfnerus in Orat. Parent. Lyser. c Albinus in Chronico Misnensi f. 357.

vetustissimam Bononiensem, qvæ legalium studiorum Monarchiam olim tenuit; inclytumq; Patavium cæterasq; Italiæ, qvæ tunc terrarum domina & princeps eruditionis fuit, delicias elegit, ubi omnium artium ac scientiarum, qvibus absolvitur sapientia, periodos confecit. Accendebant hunc ardorem Viri longè lateq; eruditionis famâ inclyti, qvorum conversatione usus, velut magnes ferrum, sic eorundem amorem partim attraxit accessu, partim alloqvio adauxit. Ex certis certissimæ nobis sunt testes Epistolæ Sadoleti, Erasmi, Fabricii, Huttenii, Sturmii, & P. Melanchthonis, quo cum Julio singularis intercessit amicitia. Sicuti vero de consilio b Erasmi, doctis assiduè convivere, eosdemq; strenuè legere, præstantissimum doctrinæ assequendæ medium est: Ita Pflugius in tanta Eruditorum luce, atq; oculis summorum Virorum non poterat non lux doctrinarum altera (sic Latinitatis Parentem laudat Plinius J.) evadere, ac genuinum nobilitati suæ splendorem addere. Addidit autem verissimè, dum ipsius scripta in salivam publicam emissa, illo tempore multorum applausu avidè arriperentur, qvibus, qvia spirabant mera Ecclesiæ Halcyonia & Romani Imperii τὴν ἐνεστῶ, qvid aliud, qvā admirationem sui, & famam concitavit illustrem. Non hīc tacenda, sed in præcipua felicitatis parte deputanda est Gratia, qvā apud invictissimum Imperatorem Carolum V. valuit maximā. Hic enim Julium non solūm splendido Consiliarii Intimi ornavit munere, arduis in negotiis non raro ejus operâ utens, c sed & scripta ejus sæpè perhibetur legisse. Eandem Majestatis gratiam pari auspicio cumulatam expertus est Divi Ferdinandi I. Successoris. Dignus igitur supremæ in terris Majestatis favore, qvī poterat non in cæterorum oculis ferri ac desideriis? Ferebatur omnino atq; Iyngē qvasi trahebatur ab inclyta d Archiepiscopatus Moguntini Ecclesia, qvæ Julium gravitate Canonici venerabilēm

a Merarij in vita ejusdem f. 201. b Ger. Joh. Vossius in Præf. dissertat. de studiis. c Possevīg in Bibl. sel. tom. 2. l. 16. c. 6. d Dresser. P. II. millett. 6.

lem ostendit. Eodem exemplo auctus est honore Decani Episcopatus a Misnensis: Pariterq; in venerationem ejus decentem assurrexit Præpositura Cicensis; donec Philippo, Episcopo Numburgensi, b Philippi Electoris Palatini Filio, Anno M. D. XLI. ad superos revocato, Julius solenni & ordinario processu R. Capituli Numburgensis ad fastigium Episcopalis sedis eveheretur. Qvanta in hoc Præfule pietas, doctrina, Virtus ac Prudentia eluxerit, & qvam eximia fuerit, si dicere parem, vereor valde, ne qvicq; dixero, fuerit minus. Nam interfuit ferè omnibus colloqviis illa tempestate de religione habitis, vel Auctoritate ipsius Cæsareæ Majestatis, ut Moderator; c vel ut acerrimus Disputator, vel ut disertissimus Orator. Ad seram celebrabitur posteritatem conventus ille Ratisbonensis, d in qvo Ecci⁹ & P. Melanchthon de peccato originis post baptismum remanente, controverterunt: Nec non Wormatiense Colloquium, e qvæ inter Pontificios ac Evangelicos Theologos initio eruditè disputatum de Norma judicii in Ecclesia: f In horum utroq; sic se præsidem ac Theologum præstítit Julius, ut ne πολεμικῶν ἀτόνις h.e. exercitatissimis videretur concedere. Taceo augustas Legationes ac Expeditiones maximi sæpè g momenti, Ecclesiæ vel publicæ salutis causa susceptas, qvarum momlem aut varietatem nihil moratus. Qvanqvam in hoc fastigio adversitatum non fuit ἄγευσθαι. Incitatissima Viris armisq; ab initio diximus fuisse tempora, qvid prohibet credere, etiam Theologorum spartam tunc armis, non muris defensam? Pomum qvasi Eridos erat Liber ille Interimystic⁹, h jussu Cæsaris, pacis causa à Pflugio ejusq; συνεργάταις scriptus, hujus ergò, heu i quantum numerum sensit adversus se hostem induere! utut scripta ejus ἀνένδογα testentur ingenium

A 3

in

- a Idem, simpliq; Jac. Sadolet⁹ lib. XI. Ep. b Chytræus & Dres. c Hörtleder Vol. II. Bell. Germ. fol. 446. d Ao. 1541. e Ao. 1557. f Schadæus in Sleid. P. I. f. 94. Bucholzerus in Chron. g Paurmeister l.2. de jurisd. c. 6. h Justin. lib. 14. c. 5. i W. Stratemannus in Theatro Histor.



in nostratum religionem mitius. Hinc qvibusdam ^a (venia
fit verbo) Neutralis Trigæ Interimisticæ fuisse videtur, ut
qui nec totam doctrinam Pontificiam probaret, nec totam
rejiceret) Has tamen acerbitates Spartano partim stomacho
concoxit, animo partim Heroico contempsit, divinis par-
tim atq; Cæsaris sui Vindiciis commisit; qui desideriis qvoq;
ejus clementissimè assurgens, præcipue cum antea ipsa
qvoq; sede labefactatus fuisset, ^b ad exigui temporis exhor-
tatus patientiam: *Bono animo, inquit, esto: Tua causa erit mea causa.* ^c
Dignum tantâ Majestate verbum, & ad posteritatem me-
morandum Patrocinium! Satis qvippe superq; Julius Cæsa-
rei promissi sensit pondus, & pristini Honoris perennem se-
curitatem. ^d Hinc æstimari potest, qvantâ dexteritate agen-
di, qvantâ rerum cognitione, qvantâ auctoritate ac gratia
conspicuus fuerit Pflugius. Divinas has ejus dotes non ne-
scivit ipse B. Lutherus, qui utut Antagonista Pflugii, tamen
elogio eum mactavit longè splendidissimo. Er/ inquit, ^e Ju-
lius hat Vernunft/ Kunst und viel mehr Haben/ und daß er zum
Pabsthumb sehr und gnugsam tüchtig &c. Non minoris ducen-
dum, qvod Argentoratensis Scholæ Orator, ac Cicero Ger-
maniæ Joh. Sturmius ^f de Pflugio offert famæ. In eo (de
conventu ipsi sermo est Wormatiensi) apparuit Julii doctri-
na, summa humanitas, qvam pudor qvidam amabilis & re-
verendus commendabat. Et mox subjicit: Sed habetis vos
domesticum exemplum, in quo verè & clarè illa eluent,
qvæ mihi non rectè tribuitis, humanitas, prudentia, doctri-
na, addo etiam eloquentiam: neq; enim existimo in tota
Germania qvempiam esse, qui prudentius inveniat, purius
eloquatur, & elegantius expoliat, id quod ex scriptis ejus fa-
ciliè animadverti potest. Paulò post idem. In Julio vero
omnia illustriora sunt ornamenta, industriæ, prudentiæ,
gravitatis, doctrinæ, Vitaq; ejus quasi Imago quædam est
præ-

^a Idem ^b Calvisius in Chron. ^c Chyträus. ^d Dress. ^e Tom. I. Germ. Jen.
^f V. Epist. ad Anton. & Philip. von Werthern.

præclari Viri, & rari atq; singularis ingenii. Oratio autem ejusmodi est, ut, qvæ ego in Ciceronis libris aliquando vobis indico, eadem in scriptis ejus (Julii) possim demonstrare.

Multa hic alia recensendi in istam rem se offerebat occasio, si vel quodantenus ἡττονεις πεδίον immittere, integrum esset. Sed in compendium est mittenda oratio, in eaq; carptim saltim aliqua & quibusdam quasi punctis acuminata perstringenda, ut ostenderem, quæ posteritas habitura sit seminarium, unde justorum voluminum jugera sit completura. Totam vero Julii imaginem [οσον δυνατόν] in brevi quasi tabella amplexi sunt famæ Pflugianæ veri æstimatores Dn. Petrus de Neu-Marek/ Doctor & Decanus Numburg. atq; Ecclesiæ Cizenfis Præpositus; & Conradus à Breitenbach/ Doctor ac Decanus Cizenfis, qui tale Monumentum æternitati consecratum dederunt.

¶ Recondita hic ossa vides Reverendissimi Principis ac Domini, Dn. JULII, electi ac confirmati Episcopi Numburg. Is cum insigni Pflugiorum Familia natus esset, tamen eruditionem, pietatem, prudentiam, multarum deniq; rerum cognitionem Majorum suorum dignitati adjectit, quæ vera veræ Nobilitatis sunt ornamenta. Fuit à Consiliis duobus Imperatoribus Carolo V. & Ferdinando I. Quoruin alter ipsum - - - Summa laude restituit. Alter vero ad extremum vitæ spiritum ita eum dilexit, ut in arduis negotiis ejus auctoritatem fecerit plurimi. Eruditio, quanta fuerit, scripta ejus post multas ætates testabuntur. Interfuit ferè omnibus Colloquiiis suo tempore de religione habitis. In Comitiis quoq; Ratisbonensis Caroli V. nomin: Præses fuit. Subditos suos, ut Parens liberos: Christi Pauperes, ut pius Dispensator: Ecclesiæ suæ gregem, ut fidelis Pastor gubernavit. Viri magni fuit & animi & ingenii, dignus certè, qui in perpetuum viveret, nisi communis lex naturæ, ut nasci, sic & mori ipsum coegeret. Præfuit -- pacatè suis annis fermè XIIX. ætatis annum agens LXV. Augusti mensis, die XXIX. in gravem morbum incidit: Tertio in sequentis mensis die animam sibi à DEo datam, pia in Filium DEi confessione, & magno suorum luctu iterum efflavit.

Atq; hæc sunt, quæ maximè Julii memoriam reddere nobis valuerunt sacram ac venerabile; idq; causæ fuit, quam obrem ad rectæ rationis trutinam prolixius expendenda.
¶ Epitaph. Ciz.

dux-

K 3306 AM

duxerit Juvenis ob Pietatem, Industriam ac Modestiam, quam nobis hic loci per duo lustra universitatis probavit, commendabilis JOHANNES REGIS, Luzenâ Misnicus, qui sub discessum ad Florentissimam Lipsiensem, Parentandi & benè precandi Manibus Pflugianis petiit à nobis locum, positurus iisdem Honoris Pyramidem. In quo tantum abest, ut honestissimis ejus desideriis non annuerimus, ut potius id curae in nos receperimus, quomodo, consuetô more, viaticatus Propemptico exciperetur ab Adolescenti gente ac mente Nobilissimo Magno Liebman de Schaueroth/ Magni Parentis, Viri maximè Reverendi ac Generosi Domini Jan-Magni de Schaueroth re. Præsulato Numburg. Consiliarii, Cathedralis hujus Ecclesiæ Sub-Senioris, ac redditum Ducalium Altenburgensium Præfeci Primarii, Patroni nostri ad cineres submississime colendi Filio, qui argumento, quantum referat, vel cum Augusto ac Trajano Mimum vitæ benè: vel cum Nerone ac Ottone eundem malè absolvisse, è memoria, quâ pollet facili, strictim daturus est.

Maximè igitur Reverendos, Generosos ac Nobilissimos Viros, Patronos ac Scholæ nostræ Nutritios æternū suspiciendos: Nec non cæteros meliorum Artium ac Virtutum. Æstimatores cum debita submissione ac observantia invitatos volumus, ut ad diem 17. currentis M. finitis sacris matutinis, hora locoq; solitis, si fas & pote, per majoris momenti occupationes splendidam gratamq; suam præsentiam nobis exhibeant, & quæ detanti deq; hac Ecclesia immortaliter, meriti Herois laudibus, intrâ parietes quidem Scholasticos dicenda veniunt, benevolè audiant; de nostro vicissim inserviendi studio hautquaquam ambigentes. P. P. Numburgi die 16. Octob. A. O. R. M. DC. LXXVI.




W.P. On.c.

Cl. 187.

PAREN^A
Illustris Memoriae Pri
D
JULIO PI
Cathedralis Ecclesie
Episcopo En
dicat
& c
Eruditorum luce
pro eo, ac deo
M. FRIDERICU
Cathedr. Numl



LEUCO
LITERIS JOH. BRÜHL
ANNO MDCCLXVII



Kodak

LICENSED PRODUCT
Black

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Cyan									
Green									
Yellow									
Red									
Magenta									
White									
3/Color									
Black									

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Xa
3366

ECA
172

LEUCO
172